

nēm interrogativam ut negativam exponit I. Chron. XVIII. 4:
Tu mihi non edificabis domum ad habitandum. Quo vero DEus
tranquillaret Davidis mentem ob denegatam templi structu-
ram, sequentes adhibet rationes: primò, Deum non indigere
templo; quare etiam hactenus à nullo Judicum, nullaque Tri-
buum hoc unquam petierit, ut sibi templum exstrueretur; Se-
cundò Deum etiam absque ædificato sibi templo piis bene vel-
le & benefacere, cujus rei testis ipse David esse possit; tertio,
DEum tamen pium Davidis propositum tum uberrimâ bene-
ficentia, tum largiore in posterum promissione compensatu-
rum esse, illique domum longe nobiliorem ædificaturum. Ita
enim Nathan ad Davidem v. 11. *Jam indicari tibi voluit Jehova,*
domum paraturum tibi esse Jehovam v. 12. quando impleti fuerint
dies ætatis tuæ, & occubueris bene cum Patribus tuis, tum excitabo
Semen tuum post te, quod exibit ex visceribus tuis.

§. III. Davidis ergo propositum, exstruendi Deo templum
magnificum, quanquam eventu caruit, non tamen caruit &
promissione singulari, & mercede ex gratia ipsi destinata, dum
ita Deus intervertebat Davidis propositum, ut non David sibi,
ipse tamen Davidi domum ædificaturus esset. De hocce igi-
tur Oraculo momentosa illa movetur controversia: *An a-*
gat de solo Messia, an intermixtim de Salomone terreno? Judæi, &
qui cum illis inter Pseudo-Christianos iisdem inflant tibiis, de
solo Salomone interpretantur, alii de utroque & de Salomo-
ne & de Messia hunc locum agere statuunt. Mittamus Judæ-
os & videamus, quid Christianis melioribus placet. Ii vero
vel Salomonem cum Christo jungunt, vel ad solum Chri-
stum omnia referunt. Brevitatis vero dum studiosus esse de-
beo, non congeram multa nomina, sed in duobus Viris Ma-
gnis conquiescam, qui Salomonem cum Christo conjun-
gunt, & in viris quidem talibus, quorum nomina per Scriptu-
ram & Exegeleos Sacræ studium longe sunt celebratissima.
Erunt illi Gladius & Schmidius. Sententia Salomonis Gladius
in hunc